



attulerunt, de quibus ad placitum emimus, et ita coenavimus. Porro locus mansionis nostrae erat totus lapidibus plenus et asperrimus sicut Alpes illae, quae sunt inter Ulmam et Wisensteig, et sub lapidibus latitabant scorpiones, quod tamen ignoravimus, quousque luminibus ostensum fuit nobis. Sarra-
ceni autem videntes nos trepidantes dicebant, quod sine timore quiesceremus, quia scorpiones camporum non nocerent sicut domorum. Et sic confortati nullus se de loco suo movit. Porro nobis sic sedentibus et quiescentibus (**SQA**) luna ante faciem nostram exorta est, in cuius ortu singulare gaudium habuimus; illis enim, qui dormire non possunt, jocundum est quidquid intercipit tenebras et umbras fugat. Nullus somnus oculos nostros tenebat, nec dormitio palpebras gravabat, nec tempora requiem optabant. Quamvis enim lassitudo post laborem somnum naturaliter causet, et nos lassi fessique essemus, quia tamen omnia nostra tota in sensitivas potentias quodammodo expansa videbantur, impediatur somnus: nihil enim nisi videre et circumspicere desiderium animae nostrae expetiit, et ita tota anima videbatur ad oculos contracta, quae non nisi ad videndum erat sollicita. Ideo haec sollicitudo somnum ei abstulit; Ecclesiastici 42.: cogitatus eis aufert somnum. Diem enim futurum ardentissimo desiderio expectavimus, scientes nos visuros civitatem praeclaram Jerusalem. De qua S. Tobias longe ab ea distans dicebat: beatus ero, si fuerint reliquiae seminis mei ad videndam claritatem Jerusalem. Tob. 13. Et alius dixit: propter Syon non tacebo, et propter Jerusalem non quiescam: Esaj. 62. Et quis non cuperet videre civitatem illam electam, de qua 2. Paralip. 6.: elegi Jerusalem, ut sit nomen meum ibi. Haec enim est civitas, in qua Deo solvuntur laudes et vota, Psalm. 65. Te decet hymnus, Deus in Syon, et tibi reddetur votum in Jerusalem. Quis det mihi, inquit peregrinus affectuosus, ut nox haec discedat, et sol festinus veniat, ut videam Jerusalem, exultationem universae terrae, civitatem regis magni et Dei summi. O si quis audivisset illa nocte postulationes desideriorum nostrorum pro sole et die futura, pariter accensus una nobiscum fuisset desiderio videndi Jerusalem. Accubuimus super lapides duros sicut Jacob Gen. 28. et socii scorpionum illa nocte eramus,

244

242

248

238

253

233

293

193

343

143

Ende

Anfang